Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2931
Quelle:
Copyright:

Canonicis obtinent demto longiore ad *Completorium*, qui incipit: *Cbriste, qui lux es et dies* &c.

Sancte Sator,
Suffragator,
Regum lator,
Largus dator,

Adjacet *Oratio ad Matutina* et *Completorium*, et Rhythmus quidam leviculus:

Iure pollens
Equi potens
Nunc in æthra
Firma petra &c.

Alius item nihilo melior inscriptus: *Versus de contemptu Mundi*, hoc initio: *Audax es uir iuuenis. dum feruet caro mobilis* &c. Item Hymnus *Bedae*, qui incipit: *Primo Deus coeli globum* &c. et legitur apud *Cassandrum cit.* p. 195. inscriptus *de universis Dei Operibus*. Hymnus demum sat mendose scriptus, rudis et superstitiosus, quo quis omnes vel minimas corporis sui partes Deo protegendas prorsus ἀνατομικῶς adnumerat. Incipit vero:

Subfragare trinitatis vnitas
Vnitatis miserere trinitas &c.

Ubi ad membrorum censum delabitur, *Plautinum* te *Cocum*, aut *Merlinum Coccajum* audire credas, et licet, ut dixi, adcurate percenseat omnia, subdit tamen anxius:

Tege pilos atque membra reliqua
Quorum forte preteriui nomina &c.

Constat versibus 92. et inscribitur *Hymnum Luticæ*, quod si quis a *Luta*, quod medio aevo pro *Lucta* legitur, derivare velit, Hymnum ejusmodi olim Luctatoribus pugilatum professis (*Luttatore*, *Lutteur*, nobis *Ringer*, Anglis *Boxer*) familiarem fuisse statuet.

VI. *fol.* 249. *Notitia Provinciarum*, *Metropoleων et Civitatum Galliae*. Nuda nomina, eaque admodum imperite scripta. Melius T. I. *Scriptt. Hist. Franc. Du Chesnii.*

VII. *fol.* 261. *Incipit Libellus de pseudo apostolis*. Additur in ora: *Guilielmi de S. Amore. Impressus Basilee sed corrupte.* Initium: *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. Isa. 33. Sicut prophetę in sacris literis appellantur videntes* &c. Extat sub titulo *de Periculis novissimorum Temporum* in *Guillielmi Opp. omn. Constantiae* (reipsa Parisiis) 1632. p. 17. 4. et quidem integrius; deficit enim nobis ab illis verbis: *Cum igitur veritas diuinæ Scripturæ* &c. *pag. edit.* 72. Neque puto unquam